

QK II, A.

(X1883946)

Kothen

II n
2911

DE
PRISCO SAXONVM
GENTILISMO, EORVM-
QVE CONVERSIONE
ORATIO

Ipsis Calend. Novembr.

Omniū Sanctorū memoriæ

facris

Anno M DC XCIV.

In illustris Academiae Juliae
Magno Juleo habita

à

JOHANNE HENNINGIO Biwenda-
Wolfenb. SS. Theol. Stud.



HELMESTADT,
Typis GEORGII WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

Per-Illustri, Generosissimo, atq; Excellentissimo

D O M I N O

D^{NO.} FRIDERICO ACHATIO

DE SCHVLENBURG,

Dynastæ hæreditario, in Heelen/Kamstedt/
Bezendorf &c.

*Sermorum Ducum Brunsvico-Luneburgensium Consi-
liario Intimo, Dicasterii Wolferbytani Directori, rerumq;
metallicarum Præfeto supremo,*

Nec non

Reverendissimo, Per-Illustri atq; Excellentissimo

D O M I N O

D^{NO.} FRIDERICO DE STEIN-

B E R G,

Hæreditario Domino, in Bodenburg/
Brüggen / Alchum &c.

Ecclesiæ Cathedralis Halberstadiensis Canonico,

*Sermorum Ducum Brunsvico-Luneburgensium Status
Ministro, aula Wolferbytanae Mareschallo supremo, Ordi-
numq; Consiliario Provinciali,*

DOMINIS MÆCENATIBUS AC PATRONIS MEIS MAXIMIS

Orationem hanc

submissa, qua par est, mente

D. D. D.

U T R I U S Q V E

Devotissimus Cultor & Cliens

JOHANNES HENNINGIUS.

MA-





MAGNIFICE DOMINE
PRO-RECTOR,

*Spectabiles omnium Ordinum Domini Decani,
Viri Maxime Reverendi, Consultissimi,
Experientissimi, Amplissimi, Clarissi-
miq; omnium Ordinum Domini Professo-
res, Patroni ac Præceptores observanter
colendi.*

*Plurimum Reverendi Domini Pastores, cæte-
riq; Hospites, Fautores honoratissimi.*

*Tuq; præstantissima Nobilissimorum juvenum,
in spem patriæ efflorescentium corona, Com-
militones & Amici singulariter dilecti,*



Vas fausto fidere nostri hodie refe-
runt fasti, Novembris Calendas, omnium
sanctorum memoriæ sacras, felicissimis
lætissimisque diebus, qui unquam Germa-
niæ nostræ propitio Numine illuxerunt,
merito annumeramus. Arduam enim magnamq; rem,
ante hos centum & septuaginta septem annos hac luce
gestam

gestam meminimus, dum *Megalander ille Lutberus*, divino Spiritu inflammatus, contra papales venias credulo popello impudentius obtrufas, insurrexit, veramq; ac salutarem de remissione peccatorum doctrinam novis thesibus, valvis templi Wittebergensis affixis, publice est professus. Ansam huic negotio præbuerat *Jobannes Tetzelius*, famosus Dominicani Ordinis Monachus, quem *Albertus*, Marchio Brandenburgensis, Archiepiscopus Moguntinus, cum in ditione sibi credita tantam argenti vim corradere non posset, quanta pallio redimendo sufficeret, consensu & autoritate *Leonis X* Pontificis Romani in Brandenburgicæ diæceseos provincias ablegaverat, ut, aperto indulgentiarum foro, omnibus numeratâ pecuniâ delictorum veniam concederet, & hoc pacto quæsitam argenti summam corrogaret. Nec inane erat aucupium, quod facundus hic præco Domini sui causam serio agens adornabat. Neq; enim ditiores tantum ad erogandam pecuniam inducebat, sed tenuioris quoque fortis homines pelliciebat, ut genium defraudantes de demenso suo aliquid comparcerent, delictisque redimendis impenderent. Cum vero etiam in loca Wittebergæ vicina Brandenburgicæ diæceseos accederet infelix nundinator, & nimia licentia usus iniquas Pontificis indulgentias phaleratis dictis supra ipsum Dei verbum eveheret, justam tandem vicini *Lutberi* iram in se concitavit. Hic enim, cum videret, temerarias illas nundinationes divino verbo non solum non contineri, sed etiam eidem plane repugnare, miseram & incautam plebeculam solícite exhortatus est, ut conscientia ac nummis suis parceret. Quo clarius vero

vero

vero etiam imperitioribus pateret veritas, nonaginta quinque theses audaci huic *Tetzelio* oppositas conscripsit, easque in festo omnium sanctorum, quo magna hominum copia exosculandarum reliquiarum causa confluxerat, in sacrae aedis portis proposuit: quae à plurimis lectae brevi temporis spatio in vicinis & remotis regionibus dispergebantur. Et quamvis hac ratione gravissimam multorum iram in se derivaret, ipseque Pontifex durum anathematis fulmen in eum ejacularetur: non tamen hic substitit pius sancti herois *Zelus*, sed, fortunante Deo, ulterius progressus, varias abusuum ac superstitionum sordes, quibus Ecclesia Christi tanquam Augiæ stabulum scatebat, Herculis instar ejecit, confusa in ordinem redegit: squalorem deterfit, obscuritatem illustravit, & ut verborum compendio dicam, pristino nitore Ecclesiam, quantum in se erat, restituere allaboravit. Sic demum scrupuli anxiiis animis exempti, ac læta tranquillitas, frustra hæctenus tot votis desiderata, *B. Lutheri* ope fuit restituta. Attamen, non nudi hominis consilio, sed Clementissimi Dei nutu, singulari quæ providentia arduum hoc negotium peractum esse facile intelligimus. Quis enim unicus isque imbecillis vir totum orbem quasi laceffere, Romanæque Ecclesiae superstitionis notam impingere ausus esset, nisi ipse Deus vires animumque ei inspirasset, totumque opus ad exoptatum finem perduxisset? Omnino igitur ingentis hujus beneficii magnitudinem venerari, eandemque hac imprimis luce in animum revocare decuerit. Quod si enim illius memoriam gratæ menti imprimimus, qui vel facultates nostras auget, vel res conclamatas in tuto collocat:

quanto magis ejus honoribus litandum erit, qui non corporis, sed animæ, non caduca, sed æterna bona, vel deperdita restituit, vel attrita restaurat. Quæ cum menti obversarentur, non alienum existimavi, orationem, quam meditatus sum, argumenti ab hujus diei religione non abhorrentis, impetrata venia hodie potissimum recitare. Nec adversum vobis, PATRES CONSCRIPTI, propositum meum esse inde colligo, quod tam faventes, tamq̄; frequentes ad auscultandam Orationem confluxistis. Utinam vero, dum honorificum benevolentia vestrae testimonium mihi præbetis, eruditis vestris auribus talia exponere possem, quæ vel ingenium saperent, vel eloquentia flumine commendari mererentur! Sed, quia neutrum de me polliceri queo, hoc unice rogo, ut quicquid gratiarum mihi deest, favore ac humanitate vestra benigne suppleatis. Hac spe fretus *de gentili Idololatria majorum nostrorum in Brunsvicensi hac terra olim degentium dicam, & secutam deniq̄; Caroli M. ævo illustrem eorum conversionem, qua fieri potest brevitate, enarrabo.*

Quanquam infensissimus humani generis hostis statim à mundi incunabulis id egit, ut cœlestem doctrinam, à Deo ipso revelatam, exitioso superstitionis veneno conspurcasset, aut, si fieri posset, ex animis hominum plane evelleret: tamen successus omni ex parte votis non respondit, quandoquidem omnis ævi memoria testatur, nunquam defuisse cœtum aliquem, qui custodiret traditam à Majoribus cœlestis doctrinae veritatem, & divinum nomen ex Dei ipsius mandato rite invocaret. At simul dolentes agnoscere cogimur, admodum tenuem fuisse sacrorum notitiam, quæ sequen-

quentibus temporum decursibus plerisq; populis man-
sit, & à pura illa veritate, antiquitus manifestata,
tantum deflexit, quantum terram cœlo distare vide-
mus. Scilicet, quemadmodum flumina è fonte suo
scaturientia primum limpida ac pura intra ripas suas
profluunt: quo longius vero ab origine sua recedunt,
eo plus fecis ac sordium ingurgitant; ita quoque reli-
gio, cum è prima scaturigine, ipso scilicet sanctissimo
Deo emanaret, hominesque imbueret, limpidissima
erat, nulla impuritate admixta. Quo longius vero à
prima rerum origine processit, eo magis nefandæ &
cum ætate audactæ superstitionis sordibus inquinata
est. Longum foret, *Auditores*, omnes prisca ævi
gentes è latebris suis eruere, illarumq; exemplo huic
rei fidem conciliare. Satis fuerit, si Germanos no-
stros, *Saxones* in primis sistam, eosq; à vero Numinis
cultu, quem primitus edocti fuerant, mirum quantum
defecisse ostendam. Horret animus meminisse spis-
sam caliginem, qua immersi verum illum Deum, hu-
jus universi conditorem neglexerunt, eoq; dementiæ
prolapsi sunt, ut res inanimatas, suæ manus opera,
divino honore mactare non vererentur. Harum in
Germania tantus olim fuit proventus, tanta copia, ut,
si omnes omnium regionum Deastros recensere ag-
grederer, dies citius, quam oratio esset defutura. Non
ingratum tamen fore confido, si aliqua saltem Idola
à priscis hujus *Brunsvicensis* terræ incolis olim coli
solita, è cineribus suis, quibus à multis jam retro se-
culis damnata sunt, eruam, eaq; cum monstroso suo
habitu in conspectum producam. Uti enim diurnæ
lucis eximiam utilitatem, ingensq; commodum tum
demum

demum conspicimus, si atras noctis tenebras è regione ponimus: ita sacræ religionis, qua hodie patrianostra fulget, magis elucebit splendor & felicitas, si priscas præterlapsorum seculorum tenebras plus quam cimmerias in memoriam revocabimus.

Vid.
Sched.
de DIs
Germ. &
Linden-
brog. in
Vita Ca-
roli M.

Ne gravemini igitur, *Auditores*, brevi itinere ad sylvam Herciniam mecum contendere, ubi juxta Bructerum montem *Hartziburgum* in prærupto jugo emittens nobis sistitur, qua in arce celebre aliquod Idolum, cui CRODONIS nomen cana superstitione imposuit, à Majoribus nostris cultum olim est, & adoratum. Exterior facies hujus simulacri talis erat: Senex in pisce stabat, quem percam vocant, indusio amictus, nudis pedibus, ac lineo vinculo cinctus. Manibus rotam & urnam tenebat, varii generis floribus, rosis ac pomis refertam. Nec sine causa istiusmodi externis symbolis instructum esse putant harum rerum interpretes, sed omnino sub his ipsis involucris arcani quid latuisse arbitrantur. Capitis nuditatem innuisse dicunt, Deum puro pectore, nullis sceleribus contaminato, nudoq; capite colendum esse. Lineum amiculum libertatem figurasse, pro cujus perenni vigore hostibus, tanquam perca lupo marino sese opposuerint, etiam cum præsentissimo vitæ periculo. Et hoc rota præfagiebat: Unitum enim populum esse debere, & collectis viribus in hostem eundum. Cæstus lineus amicitiam designavit, quæ sine fuco ac fraude stabiliri ac conservari debet. Urna fructibus impleta tempus significavit, quod varias anni fruges in hominum totiusq; naturæ commodum ac solatium producit. Unde quidem existimant, hunc *Crodonem* eundem esse,

esse, quem Latini *Saturnum*, Græci *Σάτυρος* vel *Κρόνος* salutarunt. Et sane veritati hoc maxime consentaneum videtur, ex eo, quod alios etiam aliarum gentium Deos Germani adsciverint, quibus sacra facerent. Sic eo in loco, ubi *Magdeburgum* postea exstructum est, VENERIS simulacrum à barbaris olim cultum esse prisca ævi annales produnt, quo etiam majores nostri nonnunquam religionis causa se contulerunt. Hæc *Venus* sequentem in modum erat efficta. Stabat in curru nuda fœmina, sparsis capillis, cujus caput myrtea corona, concordia signum cingebat. Ardens facula pectori innixa sævos amantium æstus notabat. Dextra orbis figuram, sinistra vero tria aurea mala representabat, quoniam in toto terrarum orbe auro omnia sunt venalia. Ad latus stabant tres puellæ, Charites nuncupatæ, nexis manibus, dona sibi invicem averfa fronte porrigentes, hoc argumento: unumquemque beneficiorum apud alios collocatorum oblivisci debere, ut exprobrandi nulla obveniat occasio. Currum trahebant gemini cygni, totidemque columbæ, animi candorem ac sinceritatem in tota vita servandam inferentes. Famoso huic Idolo omnes Saxonum populi, inter *Albim*, *Salam*, *Alleram* & *Oram* fluvios habitantes, institutis peregrinationibus sacrificasse feruntur. Cum autem externa Idola coluerint, dubium non est, quin etiam IRMENSULAM, etsi longius distitam, religiose venerati sint majores. Famigeratissimum hoc est in omni antiquitate simulacrum, inter alia tantum eminens

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.
Erectum autem erat Eresburgi in Westphalia in hono-

B

rem

rem *Harminii*, fortissimi quondam Cheruscorum Regis, liberatoris haud dubiè Germaniæ, ut hostis etiam testimonio constat, qui non primordia populi Romani, ut alii Reges Ducesq; sed florentissimum Imperium laceffivit. Quo enim tempore Augustissimus Romanorum Augustus Imperii scepra tenebat, & seu gloriæ monumentum, seu imperii munimentum in Germanos non Rheni modo, Danubiiq; accolas, sed interiores, majoribusq; inaccessos dominatum parabat: *Arminius* se ducem civibus suis præbuit, ad tuendam libertatem, & jugum cervicibus excutiendum. Missus erat ab *Augusto* in Germaniam *Quintilius Varus*, Vir, otio magis castrorum, quam strenuæ adfuetus militiæ. Hic, cum Germanos sibi conciperet, nihil hominis, præter vocem & membra habentes, pacis dulcedine eos inescare, & jus in æstivis suis illis dicere tentabat. Illi vero, ubi primum togas, & sæviora armis Romanorum jura animadvertunt, Duce Arminio arma rapiunt, omnesq; dolo oppressos funditus delent. Tam egregia facinora cum sæpius patraret patriæ suæ Theseus fortissimus, & cives suos hoc pacto ab externorum injuriis tutos redderet: æmulorum invidiam, certissimam virtutis pedisequam incurrit, donec tandem suorum insidiis circumventus in ipso ætatis flore e medio est sublatus. Ut autem mespila non sapiunt, nisi cum putrescunt: ita fortissimus hic heros desiderium sui tum demum excitavit, cum umbris immergeretur. Tum sua intelligere cœperunt bona, cum quæ in potestate habuerant, amisissent. Animadvertite vero, *Auditores*, mutabile ingenium plebis. Quem vivum Regem ferre noluerunt, hunc mor-

mortuum Deum faciunt. Adeo virtutem incolumem
oderunt, sublatam ex oculis requirunt invidi. Exci-
tabatur itaque statua, quæ amplissimas ejus laudes re-
ferret, ingentiaq; in patriam merita posteritati com-
mendaret. Erat autem armati cujusdam Viri effigies.
Dextra vexillum tenebat, rosam præferens: cujus ut
breve momentum est, ita omnium hominum, illu-
strium etiam heroum vita angustis terminis circum-
scripta. Sinistra libram expendebat: dubiam pugnan-
tium fortunam modo huc modo illuc inclinantem in-
nuens. Pectus inerme ursum præferebat, internum
belligerantium animum insinuans. In clypeoleo, qui
bestiis imperitat, invictum ad heroica facta impetum
ostendebat. Hoc modo exornata columna in tanto
apud Saxones honore fuit, ut quotannis cataphracti,
gladioq; cincti illam circumiverint, certisq; vicibus,
& singulis quidem genibus nixi devote adoraverint.
Sed & aliud quoddam Saxonum simulacrum ZEDUT,
vel JODUTTE, (ignoscite barbara voce in re barba-
ra utenti) memorari meretur, quod licet post Genti-
lismi everfionem longe alium in finem conditum sit,
nihilominus tamen superstitioni, ex omnium animis
nondum radicitus evulsæ, ansam suppeditavit. Veris-
sima autem hujus Idoli origo hæc perhibetur: Lotha-
rium Saxoniae Ducem Henricus V bello petebat, ut
eminentiorem illi dignitatem eriperet. Indigne hoc
ferens Lotharius, militem conscipit, dispositoque
agmine Henrico obviam processit. Cum itaque in
campo quodam ad sylvam Guelphi, vulgo Welphe-
holtz/ infestæ acies concurrerent, & Lotharius vi-
ctoriam reportasset, in perpetuam victoriæ memo-
riam

riam trophæum erexit, simulque ad illustriorem rei
testationem sacellum exstrui curavit. Stabat nimirum
armatus vir, cujus dextra manus cæstum, acutis stig-
matibus ferruminatum versabat, finistram clypeus
muniebant, Saxonum insignibus notatus. Hanc adju-
torii signum dixit Lotharius, quam sequentibus an-
nis, deficiente rei gestæ notitia, rustica plebs, ad su-
perstitiones pronior, in finitimis pagis tanquam Dei
cujusdam imaginem adoravit.

Miramini, *Auditores*, insanam Idolomaniam!
Dolete ingentem majorum infelicitatem, qui diaboli
præstigiis delusi à vero tramite aberrarunt, æternum-
que animarum discrimen subierunt. Nos etsi divinæ
voluntatis abyssum scrutari non audemus, hoc tamen
novimus, ei soli hujus rei rationem constare. Si ta-
men aliquid dicendum est, perspexit Deus sine dubio
cordis duritiem, mentesque Saxonum Evangelio ini-
micas. Nec salvificæ doctrinæ luce eos collustrandos
duxit, quos tantum beneficium repudiaturos prævi-
dit. Heu infausta tempora! Heu barbaros animos,
flecti ac mitescere nescios! Heu immanem in asser-
vandis Idolorum cultibus pervicaciam, quam nullo
seculorum fluxu eluent! Equidem alias negandum
non est, Germanos multis præstitisse virtutibus, qua-
rum laudem nec Romani, utut hostes, illis detrahere
potuerunt. Illustre inprimis est testimonium, quod
lib. XV. Annalibus suis inseruit *Tacitus*, ab homine quidem
Germano profectum, sed totius Romæ consensione
& applausu exceptum. **NULLOS MORTALIUM
ARMIS AUT FIDE ANTE GERMANOS ESSE,**
exclamavit Romæ Germanorum Legatus, & sedes
præ-

præstantissimis populi Romani amicis destinatas, plaudente toto theatro occupavit. Verum, illustribus his virtutum documentis sola tenebras offundit per-
vicacia, qua impulsus pro execranda dæmonolatria, licet sæpius commonefacti, pugnare tamen non desti-
terunt. Non enim existimandum, Saxones nihil un-
quam de Christiana religione inaudivisse, sed certis-
simum potius est, Evangelii sonum eadem ratione in
Germaniam penetrasse, qua in universum orbem exi-
isse sacrarum literarum oracula testantur. Non dicam
nunc de iis populis, qui Rhenum Danubiumq; acco-
luerunt, quos statim post Christi in cælos ascensionem
veram fidem professos esse gravissimi Patres *Irenæus*
ac *Tertullianus* asseverant. De *Saxonibus* solum mihi
fermo est, qui etiam non habent, cur de dilata Evan-
gelii prædicatione conquerantur, siquidem *Henricus*
Hervordiensis refert, fluente adhuc primo seculo
Ægisthum, unum e septuaginta Christi Discipulis, in
Germaniam profectum, & *Bardovici* ad fluvium *El-*
mena parochiam instituisse. *Maternum* quoq; socium
ejus usque in agrum *Brunsvicensem* excurrisse, ac
Christianam religionem disseminasse idem tradit. E-
quidem non ignoro, sublestam nonnullis videri hujus
viri fidem, sed animus non est in hæc exactius inqui-
rere. Hoc saltem apparet, seu hos, seu alios viros di-
vinitus ad prædicandum gentibus Evangelium exci-
tatos, utut forte nulli operæ pepercerint, nil quic-
quam tamen in incultis & austeris his regionibus pro-
fecisse, sed surdis cecinisse. Aut si quos lucrati sunt,
exiguus tamen eorum fuit numerus, qui tandem ad
paganas sordes, unde vix emerferant, sunt relapsi.

Tam altas quippe irreligiosa religio in eorum animis egerat radices, ut nullis persuasionibus infelix lolium exterminari ac eradicari posset. Non destitit tamen benignissimus DEUS, quo est in homines affectu, sed subinde, etiam vix opinantibus, ansam subministra- vit ex spissis superstitionum tenebris emergendi. Non ibo nunc per omnium Germaniæ populorum histo- riam, nec omnes oportunitates, quibus sese conver- tendi occasionem nacti sunt, recensebo. Eas saltem memorabo, quæ *Saxones* propius attingunt. Notis- simum est, *Longobardos*, qui olim eas regiones, per quas postea Marchia Brandenburgensis & Archiepi- scopatus Magdeburgensis protensus, incoluere, la- bente VI seculo *Alboino* Duce à *Narsete* in Italiam evocatos esse. Hi in belli & prædæ societatem vicinos quoque *Saxones* ex his ipsis sine dubio, quas habita- mus, terris adsciverant, quorum viginti millia *Lan- gobardis* se junxerunt. Quanquam vero rebus feliciter in Italia gestis ad veram religionem adducti sint *Lan- gobardi*, *Saxonibus* tamen, horum fociis, curæ cordiq; eam fuisse non reperimus. Aut, si aliquo Christianæ fidei gustu imbuti fuerint, dubium tamen non est, quin longo ac difficili per Galliam instituto itinere, quo penates suos repetiverunt, quicquid illud fuerit, ex animis rursus dimiserint, adeoque in patriam suam ne micam quidem veræ religionis attulerint. Eodem seculo *Dagobertus* Francorum Rex, consilio *Cuniberti* Antistitis Coloniensis, seminarium aliquod Christianæ religionis in confinio Saxonum exstrui curavit, eum in finem, ut Christianæ Ecclesiæ pedetentim accede- rent. Factum hoc magno emolumento, quoad *Da-*
gobertus

gobertus vixit, & Francorum potentia prævaluit: postea vero ad Idola sua reversi sunt. Progressi ad septimum seculum deprehendimus, illius annum nonagesimum *Frisiæ Saxoniamq;* longe fortunatissimum illuxisse. Hoc enim tempore, *Egberti* Eboracensis Episcopi auspiciis, duodecim Sacerdotes Angli ex Saxonibus illis, qui ante ducentos circiter annos Angliam occupaverant, orti, in Frisiam trajecerunt, per quos postea inter Idololatrias *Frisorum Saxonumq;* gentes longe lateq; prædicatum est Evangelium. Hos inter duo *Ewaldi* ad nostras usque & vicinas terras progressi verbum Dei miro studio inculcarunt, Majores nostros conversuri. Sed & hi in nostris quidem terris inanem infumferre operam. Tantum enim aberat, ut barbari oblatam à Deo gratiam arriperent, ut potius eandem alto supercilio spernerent, & utrumque Doctorem in comitatu *Hojensi* crudelissimo supplicio enecarent. Quo ipso tamen suæ quidem saluti grande obstaculum objecerunt, illos vero splendida martyrii corona, qua jam in cælo sunt conspicui, impertiverunt. Ex eodem Doctorum numero *Svibertus* primum Westphalos, deinde etiam *Saxones* adiit, eosque comiter admonuit, ut missis Idolis Christum amplecterentur. Pervagatus ille totam Saxoniam ad grandem aliquem vicum, cui nomen *Brunsvik*, cum sociis suis venisse dicitur. Substitit ibi aliquamdiu, diviniq; verbi luce cæcos barbarorum animos collustrare conatus est. Sed cum ægrotum ibidem sanasset, & hujus rei famâ late diffusâ credentium numerus augeri cœpisset, sacrificuli Satrapam loci exorasse feruntur, ut *Svibertum*, religiosi sui cultus turbatorem ejiceret.

Exclu-

*Schaten
ex Mar-
cellino.*

Exclusus ille ad alia Saxoniae Angariaeque loca se contulit, Evangeliique doctrinam infidelibus, exiguo tamen cum fructu annunciavit.

In histo-
ria Bar-
dovici
cap. II.
§. 19.

Patet ex his, *Auditores*, convertendi copiam majoribus nostris saepius fuisse oblatam. Nihilominus tamen *pagana religio*, judicante B. Sagittario, *sicut reliquam Germaniam, ita quoque Saxoniae provincias, & in his Brunsvicensem tractum ad Caroli M. tempora constrinxit: ut non sit credibile, ante Carolina cum Saxonibus bella publicum ullum Christianae religionis exercitium hic floruisse.* Post illa igitur certamina caelestis veritatis lux his demum oris affulgere coepit. Uti vero sol, mundi oculus, discussa noctis caligine, plenum suum lumen non uno simul impetu nobis offert, sed crepusculum & auroram praemittit, ac tandem clarior assurgens omnigenam diei lucem impertitur; eadem ratione clarissimum Evangelii splendorem diluculum quasi antegressum est, quo quidem nox abierat, nec tamen orta dies. Talis Saxoniae facies erat, cum *Winfridus* Anglus, qui postea a Gregorio II *Bonifacius* dictus, & Moguntinensi Episcopatu demum praefectus est, Christianam fidem Germanos doceret. Tunc enim paulatim coeperant

Desueta calescere corda,

Et caelum aspicere, & jucundum cernere lumen.

Verum etsi rari illa quoque aetate boni erant, qui sanctiori doctrinae locum relinquerent, aliqua tamen incrementa capiebat religio, praesertim in Thuringia, indefesso hujus *Bonifacii* labore, qui omnem movebat lapidem, ut, si posset, omnibus splendidissimam veritatis facem accenderet. Commorabatur idcirco modo in
Frisia,

Frisia, modo in Thuringia, modo etiam in Saxonia, & conversionis negotium promovebat, consilio & auctoritate Pontificis, & Caroli Martelli Francorum Principis adjutus. Nimis laxaretur oratio, si omnes hujus Viri labores comprehendere vellem: Quare ea tantum persequar, quæ in his & vicinis regionibus ab eo gesta reperiuntur. In limine igitur seculi octavi in Göttingensi ditone eum docuisse, ibiq; sacellum quoddam *Wenden* appellatum, Petri honoribus dicasse, historiarum fide discimus. Paulo post in Frisiam abiit: redux autem factus Bremensem Hildesensem & Gandersheimensem tractum pervagatus est, Idola in itinere obvia demoliens. Ita *Brunsteinium* inter & *Wiprechtthusanum* cænobium, Deastrum, cui sacrificia exhiberi solebant, diruit. FORTUNÆ quoq; Numen in editiore loco, ubi hodie oppidum *Hardeßen* in terra Göttingensi situm, deturbavit, quod tamen ab incolis, conversioni nondum maturis, resuscitatum. Perrexit inde ad *Bructerum* montem, & deastrum BIEL, in loco quodam è regione Rhumæ, ubi *Kattelnburgum* postea conditum, sacro impetu attrivit. Ad his potest Idolum ASTAROTH, in agro *Osterodensi* ejus auspiciis eversum.

Quanquam autem in his terris non æque feliciter ac in Thuringia sacrum negotium processerit, tamen ob infinitas molestias in itineribus exantlatas, ob improbos labores in profliganda superstitione susceptos, ob invictum denique animum, religioni diffundendæ intentum, Germanorum Apostolus meruit vocari. An autem hoc elogio jure macretur, merito quis ambigat, quandoquidem non puram Evangelii doctrinam,

C

sed

minos suos, Thuringos & Hessos, ob susceptam Christianam religionem graviter vexaverant. Fomenta quoque his turbis substraverant lites, circa dubios limitum terminos enatae. Accedebat religionis diversitas, dum Saxones paganæ Idololatriæ mordicus inhærebant, Franci vero, Christianorum sacris imbuti, odio eos plus quam Vatiniano prosequerentur. Et hoc quidem palmarium erat belli momentum. CAROLVS enim, Francorum Rex, qui ab immortalibus gestarum rerum gloria magnus salutatus, Romaniq̃ue Imperatoris honores demum obtinuit, existimabat, se Deo nihil gratius facere posse, quam si operam suam Saxonibus quocunq̃ue modo convertendis impenderet. Commodum hîc esset, *Auditores*, inquirere, jurene an injuria animis hominum vim quasi inferre, & quod ipse Deus sibi non sumit, invitos ad cultum divinum trahere & cogere annisus sit? Sed hæc aliis, graviori judicio Viris, disquirenda censendaq̃ue relinquens, rem nudam, quæ gesta est, persequar, & ex Carolina historia pauca quædam, ad præsens negotium facientia, delibabo.

- A. 771. Post mortem Pipini ac Carolomanni Regum Francicorum comitia Wormatiæ habenda indixit Carolus, in iisque Procerum consensu bellum Saxonicum, ab Avo ac Patre suo inchoatum continuare decrevit. Nec mora: collecto statim ex Francis Thuringis & Hessis numeroso exercitu Saxoniam invadit, cædit, vastat, præcipuumq̃; castellum *Eresburg* expugnat, & *Irmensulam*, cujus particulam hodiernum Hildesienfis Ecclesia Cathedralis servat, una cum aliis celeberrimis eorum Idolis destruit. Ægre quidem hoc ferebant

ferebant Saxones, sed cum Francorum potentiae resistere non audent, datis obsidibus cum Carolo M. in gratiam rediere. Fidem tamen non servabant, sed mox, cum Carolus M. in Italiam abiisset, cum *Desiderio*, Longobardorum Rege dimicaturus, *Witechindo* Duce, Hassorum fines ferro & igne vastabant, injuriam ulturi. At Carolus fraudem animadvertens reversus est, Saxonesque gravissimis nonnullis praeliis profligavit. Inde ad *Ocrum* fluvium perrexit, ubi Orientalium Saxonum Ducem, cui *Hesboni* nomen erat, supplicem factum in gratiam recepit. Westphali vero, cum absente Carolo pacem iterum violassent, *Eresburgo* expugnato, adventu Caroli ita territi sunt, ut, deditioe ad *Lippiam* fluvium facta, magna pars baptismo initiata Christo nomen daret. Quamvis autem Carolus ex iis praeliis, quibus ipse interfuit, superior semper discesserit, tamen Duces ejus parem fortunam ubique non sunt experti. Nam, cum *Adalgisus* Camerarius, *Geilo*, Comes Stabuli, ac *Conradus* Palatii Comes contra Saxones, *Witechindi* instinctu rebellantes, à Carolo M. missi essent, tam infeliciter prope *Mindam*, in monte *Sunthal* pugnarunt, ut cum omnibus pene copiis caderentur. Improvisam hanc suorum stragem ubi comperit Carolus, læsa sæpius patientia in furorem tandem abiit. Quare mox ipse cum delecta militum manu in Saxoniam properat. Quærenti, quis iteratæ rebellionis autor exstitisset, *Witechindum* esse respondent. Sed cum jussu Regis, eum, apud Regem Daniæ, socerum suum tum degentem, tradere non possent Saxones, quatuor mille & quingenti eorum, sceleris focii, *Verdæ* ad *Alleram*

A. 774.

A. 775.

A. 776.

A. 782.

capite mulctati sunt. Gravissimo hoc supplicio, de popularibus suis sumto, magis adhuc exacerbati Saxonum animi, extremam belli aleam tentare, quam Carolino jugo colla sua subdere malebant. Reversus igitur e Dania Witechindus complices suos statim congregabat, instructâque *Dietmelli*, in Comitatu Diepholtano, acie Francos provocabat. Quod, cum Carolo indicatum esset, quanta potuit celeritate eô contendit, prælioq; commisso Saxonum exercitum ad interneccionem delevit. Ob singularem opem, hæc in pugna à Deo sibi præstitam, sacellum quoddam eo in loco, ubi pugnaverat, exstruxit, ei que nomen *Sunt Hülpe* indidit: quod tamen ob nimiam superstitionem, quam in plebe excitaverat, sequentibus temporibus destructum. Sæpe numero quidem post hæc quoque tempora Saxones, consilio & autoritate *Witebindi* deficiebant, pristinae libertatis, pro qua, tanquam pro aris & focus militabant, memores: sed multis cladibus enervati tandem resipuerunt, suavissimumq; Christi jugum spretis Idolis susceperunt.

Tantæ molis erat Christianam condere gentem!

Ipsam etiam *Witebindum*, qui nec armorum vi frangi, nec fortunæ adversitate convelli poterat, inusitata sua comitate & humanitate vicit Carolus, ut idolis nuncium mitteret, & Christo Servatori totum sese devoveret. Animadvertit enim Rex, nullum belli finem nisi perempto aut delinito *Witebindo* sperari posse, ac propterea primum per Saxones populares ejus, deinde per *Amalwinum* aulicum comiter eum ad se vocavit. Tergiversatus quidem est initio, veritus, ne in Francorum castes illectus perduellionis poenam subire

subire cogeretur: Sed cum, quos poposcerat, salutis suæ
obsides accepisset, Carolum Regem tandem convenit,
ejusque fidei se commisit. *Attiniaci* ille tum commo-
rabatur, ubi advenientes *Witechindum* & *Albionem* Sa-
xonum Duces honorifice excepit, exceptos Christia-
na doctrina imbui, sacroque lavacro ablui curavit. Per-
actum cedro dignum hoc negotium anno supra septin-
gentesimum octogesimo quinto: in cujus perennem
memoriam *Witechindi* insignia mutata sunt. Ater
nempe equus in album transformatus est, quem *Sere-
nissimi ac Potentissimi nostri Duces Brunsvico-Lunebur-
genses* ab illustri hoc *Witechindo* acceptum hodiernum
in insignibus suis præferunt.

A. 785.

Hæc in Westphalia gesta sunt. Nunc in patriam no-
stram revertemur, de ea, quid factum sit, consideraturi.
Illa etiam singularem clementissimi Numinis gratiam
experta est, & quinquennio ante *Witechindi* conversio-
nem, seculi scilicet octavi anno octogesimo (O faustum A. 780.
tempus!) abolitis Dæmonum præstigiis, cælestis veri-
tatis luce perfundi coepit. Cum enim CAROLUS M.
cum ingenti exercitu altera vice in Ostphaliam acces-
sisset, *Crodonem*, celebre gentis Idolum comminuit.
Perrexit deinde ad *Ocrum*, omnesque Orientalium Sa-
xonum populos sibi obviam venire iussit, ubi ingens
hominum multitudo, ex *Ostphalis*, *Bardovicensibus* &
Nortluidis collecta, *Orheimii* ad *Ocri* ripam sacro ba-
ptismatis fonte tincta est. Quamvis vero multi sincere
Christum susceperint pectore, nonnullos tamen
subinde repertos esse tradunt, qui, dum baptismo
initiati sunt, simulatam præ se tulerint pietatem,
deinde vero prisco more Idolis suis sacrificarint.
Hos

Hos autem, si ad vitæ usque exitum gentilismo adhæserint, diversam à piis sepulturam post funera sortitos esse, ex eo forte colligi posset, quod in vico *Kissenbrük*, quod ex voce *Christenbrük* corruptum fuisse nonnulli putant, duo cœmeteria, *der Christen und Heyden Kirchhoff*/ hodiernum monstrantur, quorum altero Christianorum, altero gentiliū ossa condita esse vero valde est simile. Absunt hi pagi non procul à civitate *Wolferbytana*, è regione *Heidwigsburgi*, obscuri quidem & ignobiles, sed ob solennia negotia ibi peracta albo lapillo signandi. Quid enim jucundius, quam majorum nostrorum fata repetere? Quid dignius, quam profligatam superstitionem & instauratam Divi *Caroli* ope religionem recordari? Videre jam mihi videor Saxones, non bubonum more ad diei lumen amplius nictantes, sed aquilarum instar clarissimum solis jubar intuentes. Obversari mihi videntur lustralibus aquis abluti, non cruenta sacrificia Deastris suis offerentes, sed suavissimos hymnos Christo concinentes. O felices, quos tam inæstimabili bono Deus beare dignatus est! O beati, qui diræ Satanæ tyrannidi demum erepti cœlestium albo estis inserti! Pugnavistis pro libertate, quam amittendo invenitis! Dimicastis pro Deastris quos abdicando, Deum recipitis. O felix! O lucrosa jactura!

Sed ad *Carolū M.* redeundum est. Hic cum incredibilem Saxonum pervicaciam satis haberet exploratam, id unice operam dabat, ut in agnita religione constanter eos retineret. Hanc ob causam octo Episcopatus condidit, totidemque Episcopos constituit, qui sacrorum curam gererent, & ne quid Ecclesia de-

tri-

trimenti caperet, sollicitè caverent. Noverat scilicet, non minoris esse prudentiæ, partas tueri opes, quam quærere: ac propterea hac quoque in re nihil in se desiderari passus est. Coegit enim varias in Saxonia synodos, in quibus, inter ipsas belli turbas, de conservandæ promovendæque religionis negotio deliberatum. Primus isque celeberrimus conventus Paderbornæ habitus, ad quem Regis edicto tota fere Saxonum gens cum Angariorum, Westphalorum ac Ostphalorum satrapis confluit. Ibi, cum de condendis Episcopatibus actum esset, in memoriam Carolus sibi revocavit votum, quod Romæ ante biennium coram *Adriano* Pontifice de condenda *Osnabrüggen*si Ecclesia voverat, statimque decrevit, *Osnabrügge* primum Episcopatum erigere. Quare feliciter peracta *D. Wibonem*, à Willebrordo & Bonifacio ad omnem pietatis cultum vitæque sanctimoniam formatum, primum illius Ecclesiæ Episcopum constituit. Non diu post Westphaliam repetens Carolus aliam synodum congregavit, in qua iterum de erigendis nonnullis Episcopatibus actum. Hinc *Mindensem* Episcopatum, quem *Hercumbertus* rexit, huic anno natales suos debere, ex veteri versu discimus:

*En septingentis octoginta simul annis
Ecclesiæ Mindæ locus aptus conditur inde.*

Halberstadensem quoque Ecclesiam hoc tempore Episcopali dignitate ornatam esse, ex *Dithmaro* colligere est. Primam huic Episcopatui sedem dabat *Salingstadium*, quod oppidum hodie *Ostervicum* dicimus, ejusque Præses *Hildegimus*, Ludgeri Frater à Carolo constituitur.

stitutus, qui etiam eundem ultra quadraginta annos gubernavit. Ludovicus Pius vero, Caroli Filius, Episcopatum hunc *Halberstadtium* postmodo transtulit. Hac ætate natus quoque *Paderbornensis* Episcopatus, cujus curam *Burcardus*, Præsul *Würtzenburgensis* simul gessit. Nec tamen primum huic Ecclesiæ domicilium *Paderborna* præbuit, sed celebre *Francorum Annalibus Heristallum*, munitum in prærupto ad *Visurgis* ripam monte oppidum, donec quinquennio post locus mutaretur. *Mimigardevordensis* sive *Monasteriensis* itidem Episcopatus primordia hoc tempore sine dubio jacta sunt. Quanquam enim de certo non constet anno, hoc tamen relatum legimus, primum quidem *Bernbardum* Abbatem, postea vero *S. Ludgerum* Ann. DCC LXXXVIII. à Carolo M. vocatum huic sedi præfectum esse. *Bremensis* etiam ac *Verdensis* Episcopatus fundamenta Carolo M. omnino tribuenda. *Bremensis* Ecclesiæ gubernacula *Willebado* primo ejus Episcopo, M. Adamo Bremensi teste, commendata: qui *Drentia* evocatus in *Wigmodiam* pagum, in quo metropolis *Brema*, concessit, sacrumque munus, à Carolo M. sibi delatum, summa fide administravit. *Verdensis* quoque Ecclesiam ab eodem Carolo M. constitutam, & *Svitberto* Episcopo primo creditam diplomatibus super hac re confecti fide constat. Nec dubitandum, quin *Seiderensis* Episcopatus incunabula huc referenda: qui à *Brunone* & *Tanquardo*, Saxonum Ducibus, primum in *Vallerselebiam*, deinde ab *Henrico I. Urosam*, *Northuringiæ* oppidum, ac tandem ab *Ottone M. Magdeburgum* est translocatus. Variis his mutationibus Episcopatumque translocationibus, iis præsertim, quæ durante adhuc belli tumultu contigerunt, an-

sam

sam dabant effervescentes subinde Saxonum motus, quibus effectum est, ut Episcopi, hostili rebellium impetu à laribus suis sæpius pulsi, firmas Ecclesiarum sedes sibi promittere non possent, sed modo hic modo illic commorari cogerentur. Posteaquam vero illustris ipsius Witechindi conversio subsecuta est, Saxo-nicoque bello finis impositus, tranquilla demum pace frui, & sanctissimæ pientissimi Regis voluntati in moderandis Ecclesiis satisfacere potuerunt. Cum etiam probe nosset Carolus, Ecclesiæ salutem totiusque rei-publicæ emolumentum à provida scholarum consti-tutione, rectaque juventutis educatione unice depen-dere, magnam simul curam impendit, ut rudi Saxo-num plebeculæ, legendi peritia hætenus destitutæ, & nil nisi barbariem spiranti consuleretur. Varias id-circo scholas ac coenobia instauravit, multosque hu-maniorum literarum peritos Magistros undecunque excitos in Saxoniam misit, quorum opera feroces barbarorum animi emolliti, elegantiori-que artium cul-tura imbuti sunt.

Hac ratione Saxonia aliam plane induit faciem, à pristina forma ac fortuna longissime diversam. Pul-sa enim, quæ mentes hætenus infederat, caligine feritas exulare iussa: antiquæ lordes ablutæ, ruditas correctæ, aspera-que gentis crudelitas mitiori vitæ ge-nere commutata est. Quid? Quod ipsa etiam terra, Tacit. *sylvis antea horrida, paludibus fœda, frugiferarumque* de Mor. *arborum impatiens*, post admissam Christianam reli-Germ. gionem urbium nitore formosissima, nemoribus amœnissima, paludibus munda, aspectu-que longe jucundissima facta sit.

Tantum religio potuit suadere bonorum!

D 2

Hæc

Hæc autem omnia, post singularem divini Numinis gratiam, Carolo M. accepta ferenda esse, nemo non, uti confido, fatebitur. Obstupescite igitur, *Audito- res*, immortalis gloriæ Imperatorem, cujus tum in univ-ersum fere orbem, tum in patriam nostram tanta exstant merita! Veneramini gloriosissimum Principem, qui pro ingenuo erga Deum amore nihil antiquius habebat, quam ut salvificam Christi doctrinam in remotissimis regionibus diffunderet. Non illum infinitæ bellorum turbæ, non immanis hostium barbaries, non pervicax in Idolis suis servandis nifus commovere poterat, ut de religionis studio quicquam remitteret, sed sanctissimum Domini opus tam diu strenue exequabatur, donec voti sui compos factus totam Germaniam ad Christum adduxisset. Exegit hoc pacto

— *Monumentum ære perennius,
Regaliq; situ Pyramidum altius,
Quod nec imber edax, aut aquilo impotens
Possit diruere: aut innumerabilis
Annorum series, aut fuga temporum.*

Ac proinde invictissima gloriosissimi Imperatoris memoria apud posteros perennabit, nullis seculorum decursibus vel obscuranda, vel terminanda.

Sed nec illi Viri laude sua frustrandi sunt, quorum indefessa opera ac doctrina arduum conversionis negotium feliciter, Deo adspirante, promovit. Horum non exiguum quidem numerum fuisse omnino credibile est, sed, exceptis solis fere Episcopis, quorum nomina ab oblivione vindicata sunt, plerique

— *illa-*

— — *Illacrymabiles*

Urgentur, ignotiq; longa

Noctē, carent quia vate sacro.

Si autem eos potissimum computemus, qui patriam nostram salutaribus doctrinis olim instruxerunt, *Wil- lehadus* nobis primum occurrit, qui, cum maritimas & boreales Saxoniae partes ac Transalbinos populos ad Christianam fidem provocasse dicatur, sine dubio in his quoque terris docuit. Nulli tamen de patria nostra magis sunt promeriti, quam par illud nobile fratrum, *Ludgerus*, & *Hildegimus*. Hic enim, cum *Salingstadensis* sive *Ostervicensis* Ecclesiae Ephorum ageret, in vicinum solum subinde excurrisse, & *Northuringos* in Christiana doctrina instituisse perhibetur. Ille vero etiam Majoribus nostris hac ipsa in regione, quae oppidum nostrum complectitur, olim degentibus salutare de Christo nuncium attulit, eosque superstitioni valedicere iussit. *Ludgerus* est, qui *Helmstadii* nostri fundamenta circa haec tempora jecit, contiguumque coenobium nomine suo insignitum fundavit. Geminam igitur ob causam cum illi obstricti sumus, jure meritoque ejus memoriam grata mente repetimus, ingentiaque beneficia, huic oppido cum primis exhibita, dignis modis deprædicamus.

Tibi vero, O æterne DEUS! immortales solvimus gratias, quod misericordia motus majoribus nostris, in periculosissimo superstitionis labyrintho cæcutientibus facem tandem accendere, & æternæ salutis viam monstrare volueris. Sine dubio illi, quoties hujus beneficii magnitudinem ac præstantiam pio animo pensitarunt, in vota ac preces soluti sunt. Et nos quoque,

qui longo seculorum interjecto intervallo eandem hanc gratiam, patriæ nostræ olim collatam, grata mente recordamur, idem facimus: tacite nobismet ipsis gratulantes, quod non in exitiosas paganæ superstitionis tenebras, sed in ævum, Evangelii luce collustratum, ætas nostra incidit. Serva, Optime DEUS, hunc thesaurum, ab hostium injuriis immunem, & incorruptum ad posteros ad extremam mundi senectutem trans mitte. Dissipa malevadi Dæmonis astus, quibus Ecclesiæ tuæ struit insidias. In apricum profer ad fraudem factas hæreticorum strophas, ne à vero aberremus. Suffice in imperantium fastigio subinde CAROLOS, qui Ecclesiæ patrocini um suscipiant, ejusque honores ac com moda enixe tueantur ac conservent. Nunquam desint Viri, candida pietate, & edecumata sapientia conspici, qui, sequestratis hominum inventis, solam ac puram Dei voluntatem, e limpido Sionis fonte haustam, bona fide annuncient. Sit maneatque nobis verbum tuum certissima cynosura, cujus ductu ex ambiguis anfractibus eluctemur, & ad cœlestem omnibusque numeris perfectam felicitatem olim enitamur. Dixi.





*S*omnia, quæ fortis quondam Germa-
nia vidit,

In tenebris patriam detinuere diu.
Per montes, colles, valles, vicosque re-
posta

Absurdi idoli corpora, *lusus* erant.
Evigilasse iuvat Germanos, luce serenâ
Conspectâ, patrios irradiante lares.
Ni sint relliquiæ somni, qui fascinet æque
Mane. Potest medio somnus adesse
die.

Perbrevis esse dies clarus solet : Ingruit
hora

Obscuræ noctis : Somnia mox redeunt.
Quæ rerum sunt fata, rotentur ut omnia
lapsu,
Umbram ni metuas, neu venerere
diem.

Somnia

25
110
111

Somnia vana putes quævis mala mox rui-
tura :

Somnia dira voces, si bona diffugiant.

*Optimis literis variâq; erudi-
tione præclare instructo
Dn. HENNINGIO,
Commensali suo carissimo,
Publica mox officia ornaturus, & de lite-
raria republica bene merituro, ex
præsenti etiam ORATIONE
fausta precatus fata
sc.*

HERMANNUS von der Hardt/
Lingv. Orient. Prof.



1017 20.1.17



Per-Id
 DNO. FR
 DE
 Dynastæ
 Sermonum D
 liario Intim
 Revere
 DNO. F
 Hæredi
 Ecclesiæ C
 Sermonum D
 Ministro, au
 DOMINIS MÆ

JO

lentissimo
 HATIO
 R G,
 amstedt/
 nsium Consi-
 dori, rerumq;
 lentissimo
 STEIN-
 enburg/
 Canonico,
 nsium Status
 premo, Ordi-
 IEIS MAXIMIS

JS.

MA-

